

ptum imperito litterarum praelegi iterum debeat, STRYCKIUS *in usu modern. Tit. qui test. fac. poss. §. 19.* ILL. BÖHMER. *Disp. de testam. non praelecto §. 10. seqq.* Quod testamentum scribi debeat litteris integris, claris, distinctis et legibilibus, non notis, abbreviaturis aut zyphris, STRYCK. *Caut. Testam. C. XV. §. 6.* ILL. BÖHMER. *Disp. de scripturis non legibilibus C. III.* CARPZOV. *P. III. Consist. 3. Def. 4.* et id genus alia, quae singula latius persequi, ab instituto alienum videtur.

XV.

Hactenus in enumerandis exponendisque testamenti scripti et nuncupatiui sollemnibus requisitis ideo prolixiores paullo fuimus, ut appareat, multo plura desiderari in testamento scripto, quam in nuncupatiuo, adeoque non esse laborem cassum aut mere frustraneum, in horum testamentorum naturam, et utriusque ab altero differentiam curatius paullo inquisuisse, ut inde quoddam testamentum iure nuncupatiui subsistat, et quod e contra non aliter, nisi adhibitis scripturae sollemnitatibus valere queat, fieri possit iudicium.

XVI.

Collocant autem vulgo differentiam utriusque testamenti in scriptura, ita, ut, prout haec vel adhibita sit, vel non sit, testamentum dicant esse vel scriptum vel nuncupatiuum. Hinc nuncupatiuum definiunt per id quod fit sine scriptura; Scriptum vero, quod scriptura comprehenditur, aut quod in scriptis fit, vid: HOPPIUS *in exam. Inst. Tit. de Test. ordin. Qu. 15.* SCHOEPPER. *synops. iur. priuat. ad Tit. qui Testam. fac. poss. n. 59.*